

## De ordine expositionis

De operationibus theologicis duplici ordine tractari potest: uno modo, ex magis particularibus ad generaliora proceditur; et sic de operationibus circa ipsum Deum, deinde de iis quae supernaturaliter ad Deum referuntur, tertio demum de magis remotis quae ad theologiam uti sapientiam pertinent;

alio autem modo ex magis generalibus incipitur ut pedetentim ad magis particularia procedatur, uti primo de operationibus humanis in genere, et deinde de operationibus humanis atque theologicis.

Et nobis quidem videtur magis esse convenientem hunc secundum modum procedendi, et quidem tribus maxime de causis.

Primo, nisi exacte intelliguntur quaenam sint operationes humanae, nisi modo quodam vago atque inaccurato concipiuntur operationes humanae atque theologiae.

Deinde, quia problemata methodologica hodierna, non tam ex interna quadam theologiae evolutione oriuntur, sed potius ex invasione quadam campi theologici per nova studia olim insignita fere incognita, philologica nempe, exegetica, historica, circa sacram scripturam, circa patres, circa concilia, circa evolutionem dogmatum, circa auctores mediaevales, temporis renaissance, novissimos